Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1619
Quelle:
Copyright:

kelſpühl, neque *Andr. de Broda* autor ſcripti habendus videtur, quamvis *Bergbauerus* in vita *S. Job. Nepom.* C. 2. p. 42. in quodam *Codice mſ.* praefixas literas M. A. B. memoret, ſed ſacer quidam Curio Oppidi *Luticenſis* in Provincia *Zatecenſi* fiti, cujus nomen e vetuſtis Ecclesiae illius libris, ſiquidem ſuperſunt, erui poſſet. Confer tamen et *Cod.* CCCCXV — XVII — XXII.

IV. *fol.* 83. p. 2. *Iſte ſunt Interrogationes contra wyclefiſtas per modum conditionis.* Sunt numero XXXIII. plerumque διλημματοι, et verſantur circa *Communionem* ſub utraque. Prima incipit: *Queritur vtrum illud quod chriſtus in cena inſtituit fuit ſacrificium uel aliquid aliud. Si dicent, quod fuit ſacramentum tunc dicitur eis* &c. Citatur per decurſum pluries *Sexternus contra magiſtrum Jacobellum*, per quem, an Scriptum aliquod *Stephani de Palecz, Mauritii de Praga, Andreae Brodani* &c. aut *Concluſiones Theologorum Conſtantienſ.* intelligantur, difficile eſt diſpicere.

V. *fol.* 87. absque titulo *Mauritii de Praga* Opuſculum, quod incipit: *Apoſtolica docet ſententia* &c. Subſcriptum: *Explicit tractatus magiſtri mauricij contra wiclefiſtas et Huſſitas Anno domini M° CCCC°. XVII. die XXII. menſis nouembris. Pontificatus ſanctiſſimi in chriſto Domini Martini Pape quinti Anno primo.* Editioni *Hermannus v. d. Hardt* diem 8. *Decembris* adſignat, apud quem habes Opuſculum T. III. P. 21. p. 779. et in variis *Codd.* noſtris.

VI. *fol.* 92. p. 2. *Incipiunt allegaciones magiſtri Johannis Gerſchin* (Gerſon) *Cancellarij ſtudij pariſien. Oblaturus iuxta ſeniorum huius ſacri Concilij monitionem generalem* &c. Extant jam *Cod.* CCCCXIV. et locis ibidem citatis.

VII. *fol.* 96. p. 2. *Correctio Johannis pape qui in nocte fugit de Conſtantia longa et valde pulchra et applicatiua.* Ita ad calcem orationis ſive Epiſtolae, quae absque titulo incipit: *Alma mater katholica et apoſtolica eccleſia vnica et virgo ſine ruga* &c. et finit: *Necque mea intereſt de hys que foris ſunt fatigata fatigari.*

VIII. *fol.* 98. *Conſolacio Johannis* (XXIII.) *pape ne incidat in deſperacionem Sequitur et eſt talis. Ego* (loquitur Ecclesia) *mater pulchre dilectionis et amoris* &c. Finit: *Quia hec eſt gloria ſanctitatis eius qui eſt in ſecula benedictus amen.*

IX. *fol.* 99. p. 2. *Sequitur reprehenſio ex perſona eccleſie quondam Johannis pape XXIII. Sed nunc et in poſterum Baltazar coſſe.* Initium: *Tibi ergo fili perdite qui tanquam adoleſcentior nocte contingente te ex paterna ſucceſſione hereditatis particula* &c. Finis: *Caſtigat te dominus et morti non tradidit te.* Tres has Particulas a N. VII. in Libellum et Capita coordinavit *Herm. von der Hardt* T. II. P. 14. p. 296. ita tamen, ut noſtra ultima medium